DE CORTICE PERUVIANO TENTAMEN THERAPEUTICUM,

QUOD Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

RENATUS ESCHASSERIAUX, è loco Corme Royal, Diocœſis Santonenſis, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Martii anni 1775.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXV.

DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus Professor Emeritus.*

TENTAMEN THERAPEUTICUM DE CORTICE PERUVIANO.

CIRCA medium ævi elapsi prodiit in Europa Cortex Peruvianus multifariè vulgatus apud varios regionum incolas queis successive innotuit. Sic in Hispania ad quam primo delatus fuit, vulgo audiit *Palo de las Calenturas*; apud Italos *China-china*; apud Anglos the *Jesuits's Powder*, industria quippe hujus ordinis patrum præcipuè Romæ ipsius invaluerat usus; in Gallia *Quinquina* &c. Neminem sane latet quomodo fortuna monstrante viam vis ejus febrifuga patuit; qua propter id lubens prætermitto, unàque ipsius descriptionem, cum tot abhinc Auctores ad invicem de his scripserint: eaque magis curiositati quam nostro scopo inserviant. Attamen qui plura de cortice & de arbore cui succrescit scire voluerit; adeat imprimis quæ protulit D. De la Condamine in Actis Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis ann. 1738, & de ipsius corticis electione Cl. Werlhof (Observat. de febrib.).

Unica tunc Corticis spectata est vis circa febres intermittentes quas, nemine non stupente, quovis ullo tunc noto febrifugo citius profligaret. Nec tamen famam ingentem inde natam, irruentibus undique præjudicii, ignorantiæque calumniis & cavillationibus, diu impune tulit. Quid mirum? huic sors contigit cum omnibus rebus aut recens inventis aut cogitatis communis. Quot enim adversarios & osores ipsum haud longe ante tempus, diu dum non excitavit nascens motus circulatorii sanguinis opinio? numquid vidimus emeticum quod nunc tantam sibi pro usu medicinali laudem vindicat, e foro medico exul dum obganirent, obstreperentque undequaque iniqui aut ignari novitatum æstimatores? minime tamen diffitendum post Corticem Peruvianum aut minus congrue aut intempestive exhibitum, atque incautam sæpius febrium plane salubrium suppressionem, non nunquam gravia successisse incommoda, quæ certe non culpa remedii suapte insontis, sed offerentis manu contingerent; unde nonnulli clari in arte Viri à Corticis partibus desciverint. Postquam

autem prodiere peritorum Auctorum ſcripta , queis recta utiliſque Cortice Peruviano utendi ratio per experientiam adepta doceretur; tunc maxima ex parte alicujus noxii in ipſo deliteſcentis ſuſpicio evanuit. (cum enim ſint adhuc haud pauci qui minus huic non optimo certe jure fidant). Quidquid ſit ad hunc uſque diem obſervatione duce in tam multis gravioribuſque morbis ipſius proſtetit utilitas , ut jure *Polychreſtos* ex excellentia haberi mereatur.

Cum variæ ſint multipliceſque morborum ſpecies ad quas transfertur Cortex Peruvianus , ſucceſſiva horum expoſitio, quoad ipſius uſum, mihi viſa eſt haud faciliorem ordinem admittere; itaque in mentem venit , me ſcopum faciiius aſſecuturum , ſi effectus præcipuos viribus peculiaribus referrem ; iiſque pro ut ſeſe offerrent , caſus analogos ſubjungerem. Ordine igitur ſic inſtituto ; tres imprimis vires Cortici tribuendas eſſe cenſui, ſcilicet vim ſpecificam ſeu febrifugam , vim tonicam, & vim antiſepticam.

Vis ſpecifica ſeu febrifuga febres intermittentes, morboſque ſtatis recurrentes periodis quas Cortici Peruviano ceſſiſſe experientia comprobatum eſt, complectetur. —— Ad vim tonicam referentur præcipui virium læſarum caſus , cùm organorum quorumdam , tum totius conſtitutionis , quas Cortex Peruvianus in ordinem ſtabilem , ſeu medium & conſtantem tenorem reducit. Tandem pro vi antiſeptica exponentur primarii quidam morbi humorum putriditate , colliquatione , aut diatheſi purulenta , infames. —— Nihil hîc de Corticis vi adſtringente proferam , quam ille equidem , ſed in gradu aliis remiſſiore obtinet ; cujus tamen cum aliis combinatio ad effectus producendos haud parum conducit.

VIS SPECIFICA.

Nomine remedii ſpecifici illud intelligitur quod immutat & evertit motuum ordinem inverſum , ſtatumque ſanitatis adducit , quin ullo modo ſentiatur aut intelligatur qua vi id efficiat , quodque magis mireris quin ulla ſæpe ſubſequatur ſenſibilis evacuatio. Atque ſic habenda vis eſt Corticis Peruviani , qui ad febres intermittentes, & quæ ex earum genere ſunt remittentes, vere adæquata, tuta , & certa efficacitate pollet , cui nihil adhuc ſuppar Natura , vel Ars æmula exhibuit. Sed quemadmodum nihil eorum quæ vel ſano corpori innocentia ſunt , vel certis morbis medentur , univerſim ita juvat , ut ſæpius pro ratione circumſtantiarum , motuumque ſub quibus miniſtratur , incaute adhibitum nocere non poſſit : ita nec mirum ſi mala arte , & tempore non ſuo , oblato Cortice contrarius haud raro ſubeat eventus.

Quænam igitur recta aſſignanda eſt exhibendi methodus ? lis eſt inter Auctores quo tempore ſive univerſali , ſive particulari, Cortex ſit offerendus. Alii aſſentiunt cum Sydenhamo ſuadente curandum eſſe ante omnia ne præmature nimis cortex ingeratur , antequam ſcilicet morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit. Revera equidem nec certius dignoſcitur morbi natura , quo ve tendat tutius patet , quam ex ſymptomatum ſerie per aliquot paroxyſmos rite obſervata , unde eruatur aptiſſima curandi methodus. Alii econtra cum Sebaſt. Bado , Mortono, &c. exiſtimant poſt primam aut ſecundam acceſſionem exhibendum eſſe , rati quo citius profligatur febris , eo melius ægrotantis cauſam agi. Sed qua exceptione utrorumque aſſenſus indigeat poſtea patebit.

Imprimis igitur operæ pretium eſt, ut probe attendatur dari febres intermittentes, benignas plane, tutas, & innoxias, & tolerabiles, imo quaſdam ex his vere ſalutares, quæque minus morbus quam medela revera exiſtunt. Nemini quippe ignotum, nonnunquam febribus intermittentibus ſanari mala vetuſtiora, atque occultiora, & niſi rarius conſuetis artis ſuppetiis ſubigenda, ſcilicet epilepſiam, podagram, cordis palpitationem, melancholiam, inſaniam &c. iiſque ſæpius deteriores corporis habitus in melius mutari; tunc certe nihil ipſa febris ſuppreſſione pejus. At quid potiſſimum arguendum eſt de illa chronicorum morborum cohorte à ſublata febre oriunda, niſi præpoſtera ipſa Corticis oblatio, non vero Cortex ipſe, quem nec æqua fide quidam incuſare amant; cum finem propoſitum febrili fomite extincto aſſequatur, nec reus culpandus, ſi Natura ab opere ſalubri diſtracta in motus noxios impellatur.

Febris igitur ſimplex ut præclare ait D. Grant, (*Recherches ſur les fiév. P.* 95) habenda eſt ut naturales aliarum febrium evacuationes; cuique indulgere expedit dum ex ea levamen percipi ſentimus, præſertim ſi ſit remiſſior, aut urgentiora ſymptomata talia appareant quæ juſtis limitibus continenda ſint. Attamen nec ſemper, nec ubique, quamvis terrentia abſint ſymptomata, febris ſinenda, ſed ob quædam adjuncta, ne longius progrediatur impedienda eſt. Interdum enim fit quoddam in ægro organum peculiarem infirmitatem paſſum, adeo quovis paroxyſmo affici, ut imminens toties ſubſit periculum, cujus metus, niſi febre ſublata, tolli poteſt. Aliunde parvuli, ſenes, natura aut quacumque ex cauſa debiles rarius a febre melius ſe habent, cum diu protrahitur; ſemperque prægnantibus ex paroxyſmorum impetu male fit.

Inter febres intermittentes ſimplices ſine eminenti malignitatis genio, imprimis febris quartana ſibi Corticem Peruvianum vindicat. Namque ſicuti hæc raro depuratoria eſt, haud tutius progredienti non obſiſtitur. Quandoque equidem motus juvenili ætati ſalubres fovet, temperamentique & conſtitutionis vitia emendat; dum modo bona arte regatur ut obſervavit Hoffmannus. At ſæpius accidit ut naturæ relicta, vel ſine Cortice aggreſſa, tamdiu, tantoque cum impetu perduret, ut vegetior conſtitutio evertatur, irruantque morbi chronici interdum exitioſi, ſed plerumque haud facili cura tollendi. Hanc ætate provectioribus præcipue exitialem omnes norunt, quos longo cruciatu vexatos, viribuſque penitus exhauſtos, tamdem mors excipit. Cæteroquin haud rariſſime in ipſa febris quartanæ acceſſione, ægrum interire neminem fugit. —— In genere, omnes illas febres quæ ſimplicem curæ methodum reſpuunt, quarum-ve progreſſu res ægrotantium in pejus ruunt, Cortice inhiberi illico expedit. Sic quoque eas debellari, nulla mora interpoſita, febres, quæ primis ab inſultibus tum diuturnitate tum intenſitate violentis & inæqualibus, nec tamen lethalibus, faciem corruptivam induunt, ſana docet ratio.

Denique ut rationalior emergat methodus circa debitum ſinendæ, vel ſiſtendæ febris locum; maxima habenda eſt ratio ætatis, ſexus, virium, affectuum ægri anteriorum, tempeſtatis, ſtatus epidemici, vel prægreſſi vel præſentis, &c.

Capto igitur prudenti, ſagacique conſilio pro opportuna Corticis oblatione, etiamrequiritur ne exitus optati ſpes illudat, ut ea præmittantur quibus fiat certior vis Corticis ſæpius iis neglectis, vel inutilis, vel damnoſi. Ad hunc ſcopum inſerviunt venæ ſectio, purgantia, vomitoria.

Venæ sectionem quæ primum inter evacuantia locum obtinet, in prægnantibus ratione plethoræ, Corticis oblationi præviam esse operæ pretium est; eaque imprimis eo magis necessaria quod inter ipsius usum, intempestiva mensium irruptio, & quidem abortus acciderit (Bianchi Hist. Hepat. Schol. IV. p. 637. T. 1.). Eadem habenda est cautio cum Corticem offerendi sanguineo & plethorico temperamento præditis, vel iis quibus supprimuntur consueti mensium, hæmorrhoidum-ve fluxus; datur occasio. Pro differentia etiam febrium plus minus-ve venæ sectioni indulgere expedit. Sic v. g. in quotidiana quam in tertiana & in hac quam in quartana necessariam venæ sectionem patet, ex eo quod observatione Langrishii constat sanguinem & viscidiorem, & tenaciorem esse in prima quam in secunda &c. & consequenter cæteris paribus esse ad inflammationem suscipiendam faciliorem in illa quam in hâc &c. unde Celeb. Huxham (*Essai sur les fiév. P. 29.*) in quotidiana & duplicibus tertianis febribus, non minus venam tundi, quam Cortici ipsi nitrum admisceri esse interdum necesse expertus est.

Cum in primis viis turgescentia adest, purgantibus & vomitoriis Cortici prævis uti consueto more juvat; ut eluantur sordes quæ sæpius ipso oblato superstites, exitiosis metastasibus, obstructionumque congeriei ansam præbent. Horum evacuantium indicationibus diutius non immorabor; attamen quoad purgantia id imprimis notandum, sæpius hæc peropportune & efficaciter Cortici Peruviano admisceri. Ea autem præsertim in usum venit methodus, cum prius Corticis opem invocandam necessitas jubet, scilicet ægro debili, violentisque febris insultibus, quam detur evacuantia tentandi opportunitas. Tunc ea Cortici quantitas rhabarbari, vel cujusvis alius lenis cathartici adjungitur, quâ alvus saltem aliquoties dejiciat, sicque duobus satisfit indicationibus æqualiter urgentibus; cum scilicet sordes ventriculo, & intestinis affixæ, & hærentes foras eliminentur, febrisque absque periculo extinguatur. Impense æque hæc prodest Corticis cum purgante admixtio, apud eos quorum densior est, & plethoricus habitus, vel cum hepar, splenem, ductusque mesaraicos, crassioribus stagnantibusque referri humoribus, aut obstructionibus infarciri, suspicari licet. Primus hanc tenuit Cel. Lancisius (1) medendi viam, quam deinde Ill. Mead (monit. & præcepta med. p. 29), Hoffmann (Med. syst. T. 4. p. 64.), compluresque alii feliciter experti sunt. Immerito sane contendunt nonnulli hujus pharmaci vires valde imminui, nisi interea dum ad assumitur venter sit adstrictus. Quam minus horum valeat assensus, suffragante celeberriorum auctorum imprimis Cl. Mead experientia satis evincitur; aliunde diarrhœa equidem, non vero ventris laxitate, Corticis irrita vis effici potest.

Attamen in febribus intermittentibus malignis, quas uno quasi ictu confodi, ob præsens vitæ discrimen maximi interest; ab hac mixtione abstinere prudentius, tutiusque agitur: adeo ut in hisce, si ob peculiarem idiosyncrasiam quibusdam alvum more catharticorum moveat, huic adjici guttæ anodynæ debeant.

---

(1) Mixtionem rhabarbari cum china, ipse ego apud Italos XX circiter abhinc annis primus faustam prosperamque hisce in casibus expertus fui, felicemque exitum cum aliis per epistolas communicavi. (Lancisi lib. II. epid. IV. cap. VI.).

Insuper notandum haud incongrue Cortici interdum vel præmitti, vel subjungi quædam generalia remedia scilicet aperientia, diluentia, attenuantia, aliaque quæ febris curandæ genio magis arrideant.

Hic omnes febrium intermittentium cum aliis morborum speciebus coalitiones, quoad Corticis usum, non attingam; illud duntaxat animadvertendum occurrit, prius hæc intermittentium adjuncta, si per febrem liceat, sive sint sensibilia constitutionis vitia, sive manifestæ cujusdam organi læsiones, esse remediis propriis amovenda, quam ministretur ipse cui pro re nata hæc admisceri necesse est. Attamen de quibusdam complicationibus scilicet anasarca, hydrope, attendi juvat, interdum simul ac tollitur Cortice febris, has etiam eodem ipso sufflaminari. Heister ad hosce casus Corticem impense laudat, sed generaliorem sane protulit sententiam; Cortice equidem hydropes debellari contigit, at tum lentore humorum, vasorum, viscerumque debilitate pendebant, ut observarunt complures imprimis Cel. Storck qui hac methodo ascitios & anasarca pessima laborantes curavit. (Ann. Med. T. 1. p. 81.). Iis autem qui ex induratione hepatis, lienis, aut alterius visceris, ascitici facti simul intermittente febre laborant, Corticem exhibere sane piaculum esset, nisi prius in usum vocatis, aperientibus, mercurialibus, saponaceis, &c. Rebus autem in extremis, seu tum à febre, tum ab hydrope urgente periculo, sine mora ad Corticem confugiendum esset, ut induciis impetratis, securius curam liceret instituere; binis enim hostibus, seù morbis citius occumbit æger quam uni. Eadem habenda est curæ methodus cum eo devenit febris cum alio morbo complicata, ut non sit sine discrimine diutius sinenda; quamque nonnunquam operæ pretium est, refocillatis ægri viribus, revocare (1), si morbum adjunctum, febre ad felicem exitum adduci posse sentiatur. Hic autem obiter notandum, expedire febrem imprimis reviviscere, si ea intempestive suppressa, affectiones chronicæ, raro nisi hac arte sanabiles, acciderint.

De Corticis autem oblatione, pro opportuniore febris stadio, discrepant inter se Auctores. Alii enim cum Torto, Listero, hora ingruentes paroxysmi, alii declinante accessione, utilius hunc ministrari censent. Attamen rem, tutio-

---

(1) Certo certius est equidem febrem facilius tolli quam sublatam revocari. Sic Cel. Boerhaave sibi nusquam parem extitisse Medicum palam profitebatur, si qua facilitate febrem extingueret, eadem extinctam accenderet. —— Varia à variis Auctoribus commendantur ad febrem revocandam remedia. Nonnullis ad id lubet uti purgantibus, monente sane Sydenhamo, aliisque, nihil intensius reversionibus favere purgantibus propius à febre depulsa propinatis. Ettmullero imprimis arridet spiritus salis ammoniaci volatilis. Cohausen certiorem fieri spem asserit ope vini medicamentosi cui fuerint infusa resolventia, diuretica, detergentia. Constat quoque Westphalienses suinam cervicem longa die fumigatam esos, quasi ad nutum sibi febrem adscire. Tandem observante Cel. Werlhof reponendum est inter artes febrem suppressam revocandi, & occultam producendi, & exiguam, sed increscere nitentem, magis augendi, si imbecilliorem Corticis, aut alius febrifugi dosim exhibeamus. Momentum enim præcipuum situm est in proportione medicinæ ad nisus, motusque materiæ morbidæ. Revera febrifuga afficiunt plerumque & materiam, & motum, unde sæpe si proportio nimis ab adæquato robore remota est, motum exstimulant, & excandescere febrile incendium faciunt, quod extinguere possent, si virtus medicinæ par morbo opponeretur.

rem ad effectum in intervallis peragi, patet ex recentioribus Auctorum scriptis; natura quin imo tunc magis suæ ipsius compos, vires Corticis salutares melius in usum convertit.

Cortex, more solito, vel pulverisatus, vel sub decocti aut infusionis, tincturæ, aut extracti, forma exhibetur. Pulvis perapte, vel vino immisceri, vel ad electuarii, aut boli consistentiam redigi potest. At hæ Corticis præparationes non syruporum, sed mucilaginum ope, monente Lewis (*connoissance pratique des médicaments les plus salutaires &c. trad. de l'Anglais T. 1. p. 380.*) peragendæ sunt, quippe cum illis efficiatur ut plerumque ori, faucibusque Cortex hæreat, gustuque ingrato diutius ægri palatum feriat, econtra vero his, liberior pateat aditus, quin vix post deglutitum æger minus grate se affici sentiatur.

Ex omnibus Corticis præparationibus, aliæ procul dubio ob hanc quâ præ cæteris pollent, energiam & activitatem, anteponendæ sunt. Attamen non omnes, eadem forma, iisdem circumstantiis, præberi assentiunt. Alii decocto, alii tinctura uti malunt. At ii non ambigent circa substantiæ ipsius Corticis cuivis præparationi pharmaceuticæ, & chemicæ longe præponendæ præstantiam, quos solidior, uberiorque docuit experientia. Nec tamen multo minor manet laus extracto cui sub minore volumine, majorem partium medicamentosarum copiam continendi utilitas adjicitur. Ea imprimis in promptu habenda sunt extracta quæ methodo Beaumeiana conflantur. (*Éléments de Pharmacie théoriq. & prat. p. 302.*) Cæteræ autem Corticis præparationes licet vi minori gandeant, nec idcirco spernendæ, cum sæpius aptissima detur iis utendi ratio.

Sat vulgatum Cortici haud inesse saporem qui nauseabundi ægrotantis, præsertimque natura delicatiorum, fastidientiumque palato arrideat. Quapropter eum ægris sub forma solita oblatum respuentibus, quoad fieri potest ingratus fucandus est sapor, addita quadam gratæ substantiæ quantitate; hac insuper habita cautione, ut ipsa Corticis præparatio sit circumstantiis accommoda. Nonnunquam accidit ut ægrotantium diuturna febre effœtorum adeo debilitetur stomachus, ut hunc sub quacumque forma oblatum rejiciant, aut fastidium ita insuperabile longiori ipsius usui succedat, ut statim assumptum evomant. In hisce rerum adjunctis, febre aliunde periculum minitante, si adhuc patet ad ingerendum Corticem via, ea quærenda est in enematibus ipso Cortice paratis, quæ sæpius ut in infantibus, sic in adultis optato non caruere successu. Baglivius (Prax. Med. p. 146.) prior id in puero quinquenni nihil per os admittenti tentatum feliciter laudat. Helvetius Medicus Parisiensis (*Méthode de guérir toutes sortes de fiévres sans rien prendre par la bouche.*) hanc accurate methodum describit, compluresque sic curatos recenset. Hæc autem deinceps efficacem in usum multis cessit. Curandum igitur ut intestina, uno vel altero ex melle, vel gemmæ sale, parato enemate, prius expurgentur, ut fœces ipsis inhærentes Corticis vi non obstent. Aliunde temperanda est Corticis enemate injicienda dosis, ne subsequatur irritatio quæ intestina ad excretionem excitet.

Quod Corticis dosim attinet, hæc adeo ratione circumstantiarum differt, ut incassum quis constantem vellet definire. Namque si supponi nequit, eadem indoles, eadem febrium natura pro variis subjectis, nequaquam etiam diffitendum est,

maximi intereſſe, ut certa ſervetur proportio ſecundum caſuum analogiam, juxtaque illam imprimis ſummam indicationem quæ à juvamine vel eveniente, vel ſecus, peritis obſervatoribus fere in quavis curatione deſumenda eſt. Inde igitur patet, quam parum rationi conſentaneum ſit, uni eidemque, nulla diſtinctione habita, doſi ſervire; quod perinde eſſet ac ſi eadem aquæ copia cuilibet incendio infunderetur. Inſtituenda eſt igitur virium medicamenti proportio ad febris ingenium, magnitudinem, velocitatem, longitudinem & difficultatem, neque quærendum eſt quam multum vel minus æger ſumpſerit, ſed quam bene, quam opportune, quam feliciter. Proſper enim ſucceſſus remedii indicium eſt recte & ſufficienter dati. (Hippocrates de Locis in Homine § 125.).

Nihil igitur adhuc Medico haſce regulas complexo ſupereſt agendum, niſi ut rite & pro circumſtanciis ad debita intervalla Corticem partiatur, ſicque ad curam incedat.

Verum etſi Cortex nulla purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorumdam corporum temperiem atque idioſyncraſiam, perſæpe accidit ut ab ejus uſu tamquam à cathartico fortiori aſſumpto, æger violenter expurgetur; adeo ut ſe noviſſe quoſdam Cl. Albertini aſſerat, qui Corticem non paſſi eſſent, niſi quando ob id ſumerent (Comment. Bonon. T. 1. p. 405). Re igitur ſic ſe habente, cuivis Corticis doſi poſſunt immiſceri aliquot tincturæ opii guttæ. Cum vero ècontra ſive Cortice, ſive quacumque alia cauſa alvus ſtricte clauditur, utiliter in promptu erunt aliquot rhabarbari ſimùl aſſumpti grana; ita ut nonnullæ ſuccedant alvi dejectiones.

Dum cura per Corticem inſtituitur, exercitatio per paroxyſmorum intervalla egregie præſtat; quod præcipue adverterunt Hoffmann, Cohauſen, Lewis &c. aliique plures. Eruenda ſane eſt exercitii utilitas, ex eo quod tranſpirationi ad febrium curationem quam vulgo attenditur, utiliori, maxime faveat: unde Gianella potiorem in febribus æſtivis quam in hybernis Corticis vim eſſe aſſerit; & è contrario Gohlii obſervatione conſtat otioſos & vitæ inertiori indulgentes minus proſpere Cortice affici. —— Experientia etiam compertum eſt Corticis uſum pro tempeſtate aliquo modo variari: ſic Cel. Grant (T. 1. p. 130.) ſe eſſe expertum teſtatur eo majorem requiri Corticis quantitatem, quo magis aër vaporibus denſatur; & tempore valde humido & nebuloſo, Cortici diaphoretica, theriacam, nonnullaque ſalia alkalia, neceſſario eſſe admiſcenda; contra vero nitrum, rhabarbarum & quidem venæ ſectionem eidem eſſe adjungendam tempore ſicco & ſereno, vel cum flantibus ventis borealibus frigus glaciale viget; hacque medendi via penitus curam attingi.

Hactenus intermittentium curam uſque ad paroxyſmorum extinctionem, Cortice peractam proſecuti ſumus, nunc quædam de prophylactica methodo proferenda.

Nequaquam febrilibus ſufflaminatis motibus, febrem prorſus extingui cenſendum eſſe ſatis quotidiana evincitur obſervatione. Sæpius enim fit, ut hoſtis victus non vero edomitus, febris datis induciis, novas comparet vires, denuoque æque ferox ac antea, caput exſerat, iterum poſitis armis debellanda. —— Itaque major minor-ve pro ſua cujuſque natura febribus ineſt ad reverſionem tendentia, quæque vel ſtatu epidemico, vel confuſa & inordinata

ſpecifici oblatione, regiminis erroribus, locorumque ſitu (1) niſu potenti determinatur. De quibus adire juvat Cel. Werlhof. —— Notatu digna res eſt quam protulit in Inſtitutis Bononienſibus (p. 405) Cel. Hippolytus Franciſcus Albertini. Nullam enim prorſus extinctam febrem per Corticem Peruvianum vidiſſe ſe affirmat, ſine excretione aliqua & criſi diverſa in diverſis hominibus, firma tamen & conſtanti, hinc interdum ſive urina, ſudore, ventris ſolutione, ſputo, aut tranſudatione; quibus deficientibus eſſe imbecillam ægrotantis valetudinem, vires languentes, appetitum proſtratum, donec febris regrediatur, aut hydrops, alius-ve affectus cachecticus ægrotum invadat. Negari equidem nequit ſæpius poſt Corticem ſenſibiles fieri evacuationes, attamen ſæpius etiam non apparere ſenſibus obvias, obſervatis evicit Ill. Wanſwieten (Comment. in Boerh. Aph. T. 2. p. 515.) quin ex hoc æger recidivam patiatur; quin imo factis ſenſibilibus evacuationibus non minus quam & vice verſa contigiſſe aſſerit. Unde igitur certi Cl. Hipp. Albertini aſſenſui limites conſtant.

Quando ſufficienter operatus eſt Cortex una ſerie continuatus, ut ad præſentem febrem delendam nihil ſupereſſe, & nihil amplius utilitatis à continuato uſu in corpus redundare videatur; deſinendum eſt illum exhibere, & quidem circa phaſeos alicujus lunaris tempus ut vult Werlhof; quod tamen haud adeo exquiſite notatu neceſſarium. Licet aliquantum diſſentiant inter ſe Auctores de recidivarum tempore, attamen ſi quid non certiſſimi, tamen ſat obſervatione conſtantis de hoc ſtatui poteſt. Sic Werlhof expertus eſt febres ex tertianarum genere recidivas, quam plurimas aliquo ſecundæ hebdomadis die à ceſſata remedii aſſumptione contigiſſe, atque ſi ope naturæ, aut artis rurſum evanuerint, ſemel vel aliquoties ſæpe præterea pro morbi, ſtatuſque epidemici ingenio, alternis ſemper hebdomadibus reverſas eſſe, vel molimina ſaltem ſatis manifeſta oſtendiſſe. Quare hebdomadem accurate unam quieſcere à medicatione ægrum illi ſolemne erat. Hanc prius tenuerant medendi viam Morton (de Corticis præparat. exercit. 1. p. 70.) Sydenham (Epiſt. 1. reſp. p. 189) Pitcarn (Elem. Med. lib. 11. cap. 1. §. 45.), qua tamen, febre indiſtincta, utebantur. Igitur, octiduo ab ipſius uſu ceſſato, repetendus eſt Cortex quem omnibus per totam hebdomadem ſequentibus, pro typi ratione, bihorio forte ante illud tempus, vel eo ipſo tempore quo paroxyſmus expectari debuiſſet, ſi perduraſſet febris, diebus continuari, iterumque ad alteram hebdomadem quieſcere, expedit. Si morbus pertinax & chronicus ex ſui ingenii aut corporis ratione futurus fuiſſe videtur, & diætæ regimen haud omnino exquiſitum ſperare licet, & conſtitutio epidemiæ, aut contagium ad inducendas febres vergit, iterum iterumque per hebdomadem unam quieſcere, & per alteram medicamento uti neceſſe eſt. Sæpe numero evenit, teſtante Werlhof, ut per ipſum medicationis tempus, moleſtiæ quædam febriculoſæ, veluti motus reverſionem molientes perſentiantur; atque ex his præcipue in-

---

(1) In Hollandia, ut & in aliis locis depreſſioribus, paludoſis, ſtagnantibuſque aquis putridos exhalantibus vapores, refertis, ubi endemicæ graſſantur febres, frequentiores ob earum pravam indolem contingere reverſiones conſtat; quare ſæpius fiunt in viſceribus & abdomine obſtructiones male Cortici adſcribitæ. Sic etiam ad has quam ad aliorum locorum febres, major Corticis doſis requiritur.

dicatur, omnino neceſſarium eſſe ut poſtquam rurſus per hebdomadem unam abſtinuerimus, altera inſequente medicinam iterum adhibeamus; neque ab ejuſmodi alternis vicibus ceſſemus, priuſquam alternæ morbidorum motuum vices per ſuas hebdomades redire penitus deſinant.

Alia autem ſtabat methodo Werlhof in præcavendis quotidianarum quartanarumque reverſionibus; ſcilicetà Cortice ſufficienter oblato per quatuordecim accurate dies quieſcere erat ſolitus, decimo vero quinto, decimo octavo, & vigeſimo primo Corticem repetebat, cæterum quoad ejus continuationem, iiſdem, ac in febribus tertianis rite obſervatis; adeo ut paroxyſticam tertiam hebdomadem in iis, ut in tertianis, alternam haberet. —— Quamvis autem Werlhofii obſervationes quamdam præ ſe ferant rei certitudinem, nequaquam tamen in ipſa dierum paroxyſticorum expectatione immorari tutum foret, imminente proximæ reverſionis periculo, quod propius inſtare ſemper notabili primarum viarum diſturbatione nuntiatur. —— Æque animadvertendum quod ſæpius irritis cautelis, nihilominus æger recidivam patiatur; tunc monente Sydenham (p. 191.) prudentis Medici erit non nimium pertinaciter inſiſtere methodo Corticis, ſed pro ſuo judicio aliis modis curationem aggredi. Aliis igitur febrifugis tentanda febris eſt, quibus autem inſufficientibus, rationalior inſtituenda eſt cura, donec Cortici occaſio faveat. —— Cortice febre depulſa, convaleſcenteque ægro, alia etiam in uſum vocari juvat remedia, imprimis quas molitur natura evacuationibus idonea, quæque peropportune eidem Cortici miſcenda ſunt. Quoniam autem ſæpe contingit imi ventris viſcera, pravis & incongruis ſordibus eſſe referta, interdum obſtructa, (quod familiare plerumque eſt iis qui diuturnis febribus tertianis quartaniſque laborarunt), quæ iiſdem corrigendis educendiſque extra corporis confinia ſunt opportuna, ſeligi expedit; quibus omnibus ſane præſtat rhabarbarum Cortici maritatum. Hic ſilentio ea remedia prætereo quorum abuſu, nonnunquam irrito Cortice, febris recrudeſcit; hæc præcipue offerentis manu æqua lance ponderanda ſunt.

Nihil dicam de ipſis affectibus chronicis ex febrili materia natis, vel cum eadem adhuc mixtis, ut phthiſes, arthritides, cachexiæ & ipſi tumores hydropici, ad quos, additis vel præmiſſis quibus opus eſt, vix eſt quod Corticis virtutem æquiparet; quod teſtantur haud rara quæ proſtant apud Auctores exempla.

Cum verba de Corticis uſu in febribus intermittentibus ſimplicibus facerem, conſilio febres intermittentes malignis ſymptomatibus inſignes, ab his natura, quamvis eodem remedio curandas, valde diſſimiles omiſi. Igitur ut certo quodam ordine procederem duxi conſultius, ſi de his ſegregatim agerem, paucíſque egregium in his Corticis uſum adſtruerem. Sed prius haud intempeſtivam fore febrium pernicioſarum breviter abſolutam recenſionem exiſtimavi.

Febres intermittentes malignæ, commode, ſi duntaxat qua ſe dent manifeſtas ratio ſpectetur, in duas poſſunt ſpecies dividi; tamen una eademque quoad curam ipſis eſſentialem, revera ſunt. Aliæ enim plerumque prima facie pro benignis imponere ſolent (1) adeoque primis in recurſibus celant malignitatem,

---

(1) Tam egregie hæ febres intermittentem benignam ſimulant, ut vix aliquo ex ſigno certo, triſtis eventus prænuntiari poſſe videatur. Præcipuè cum morbi ingenium

ut illico eas jugulare piaculum esse videretur. Larva tamen detrahitur circa tertiam vel quartam accessionem, periculique magnitudinem confestim aperiunt immania quædam ac truculenta symptomata, scilicet vomitus enormes, cardialgiæ, dysenteriæ graves, colicæ, leypothimiæ, syncopes, coma, carus, apoplexia &c.

Aliæ econtra sub graviorum morborum specie, scilicet apoplexiæ, choleræ, asphyxiæ, pleuritidis, &c. ægrum cum præsentaneo vitæ periculo corripiunt quin ulla queis innotescere assuescant, signa præcesserint; & si absque quacumque distinctione curam tantum pro morbi natura apparente instituris, certo certius est vel ægrum secunda vel tertia symptomatum exacerbatione periturum, vel saltem nisi magno sumptu vitam servaturum.

Quamquam innumeri fere scriptores medici febrium pernicialium vel intermittentium vel remittentium mentionem fecerint, ea tamen apud plurimos non nisi superficiaria est & perfunctoria. Per paucos invenies qui amplius & pro rei dignitate, ingentis sane in Medicina momenti, hanc materiam pertractarunt. Primus omnium Lud. Mercatus (L. 1. de feb.) harum febrium species, causas, & signa accurate descripsit, iisque utiliorem, quoad, ante Corticem inventum, fieri posset, curam assignavit. Deinde Morton easdem complexus exercitatione prima de febribus (cap. 9. de protheif. feb. interm. genio.) genuina eas medela feliciter profligavit. Celeberrimi postea Auctores variis temporibus observatas hasce febres graphice depinxerunt, scilicet Sydenam (Epist. I. resp. p. 191.) Torti (Therapeutice specialis lib. 3. cap. 1.) Werlhof [Observ. de feb.] Huxham [Constit. ann. 1737] Lautter [Hist. Med. biennalis morborum ruralium] &c. In horum igitur egregiorum virorum scriptis ea imprimis investiganda sunt quæ tum ad naturam, signaque harum febrium caracteristica probe dignoscenda, tum ad rectam medendi viam ineundam, quam maxime juvant. At cum in hac tantum hærendi sit animus, specificam tantum curam attingam, omissa analytica quæ mei propositi non est.

Si in ullo morborum genere, vita aut mors ægri in manu medici versatur, illud profecto obtinet in malignis ejusmodi febribus quarum periculo attente perpenso, varias queis instantibus occurrat symptomatibus, methodos æqua lance ponderat, harum vel felicem, vel funestum finem prævidet, penesque se est discrimen amovere vel accelerare, pro ut inter duo remedia seligit, quorum vi certissime explorata, unum vim periclitantem tuetur, alterum vero in ruinam præcipitem trahit. Certo certius est igitur quod, si hasce febres purgantibus tantum ac venæsectione aggrediaris, reus eris ægroti haud dubie perituri, Corticem autem si tempestive ac sufficienti dosi exhibueris, ægrum in tuto collocasti.

Restaurandus (Hyppocrates de usu chinæ chinæ) primus Cortice has febres sed hemitritæas prospero cum successu edomuit; quare in hoc Mortonum, Sydenhamum, Tortum, Werlhofium &c. præiisse, ipsi laus manet; attamen his præsertim leges practicæ de Corticis administratione, accuratissimis obser-

---

generatim non videatur malignum, sed potius innumeri, sub eodem statu epidemio, feliciter facileque cum quavis medendi methodo emergant, in quibus fere eadem omnia in principio notantur. (Werlhof sect. 1. §. VI. p. 17.

vationibus adstructæ, debentur. ——Cum ob periculi his febribus adnati, & celeritatem ingentem admodum, & magnitudinem, ut in aliis minus cunctari liceat, maximi momenti est ut Medicus statim ac videt, vel potius harum naturam prævidet, nulla interposita mora ad Corticem maxima dosi & quantum potis est, proxima offerendum confugiat; uberiorem autem longe ab accessione porrigi, quo citius ejus virtus in actum deduci queat, ex Torti (p. 206.) præstat. Nonnunquam cum propius instare periculum cernitur, Corticem declinante accessione propinari necesse est; & quidem ipso in paroxysmo cum, pulsu valde debili, & depresso, ne haud diutius ægri vita protrahatur verendum est, nihil in his rerum angustiis, oblatione Corticis anodynis & quidem narcoticis admixti cum nimia est ventriculi & intestinorum irritatio, utilius moliendum est. Quando adest vomitus liquor Hoffmanni anodynus præ cæteris confert. Cæterum Corticis exhibendi quantitas æstimanda est ex diversitate motus seu velocitatis ipsius febris, modo magis, modo minus celeriter in præceps ruentis, vel ex diversitate temporis, seu longiore aut breviore intervallo quod ad agendum superest. Nec dubium quod ad has febres, præparationibus Corticis, scilicet substantia aut extracto, vi majori pollentibus, & quarum forma pro circumstanciis varia esse debet; uti expediat. Quamvis jamque pericnli expers æger videatur, paroxysmis fere abolitis, nihilominus non à largiori Corticis dosi desistendum est, donec penitus fugati sint, & æger cum sanitate in gratiam redierit, quod testantur in ordinem naturalem restitutæ organorum functiones. Omni igitur exantlato metu, expectanda est hebdomas paroxystica, sed animadvertendum occurrit, Corticis dosim ubi vitæ periculum instans adfuit, servata proportione ampliorem & propiorem requiri; pauciora enim vel minora præbia haud adeo fidum spondebunt successum, sed repullulanti febris violentioris repressæ pabulo tempus fortasse largientur. Quod si interea plenitudinis humorum signa appareant, quæ plenæ curationi obsint, evacuationem aliquam moliri licet, subjuncto tamen statim rursus, & continuato quoad opus est Cortice, cui quantum fieri potest apta misceri possunt evacuantia.

Quæ de febribus intermittentibus malignis dicta sunt, ea & intelligi debent de febribus remittentibus quibus etiam maligna coalescere symptomata haud ignotum est.

FEBRES REMITTENTES. Duo præcipue de Corticis usu in febribus remittentibus animadvertenda occurrunt 1°. Probe distinguenda febris est, quæ successione periodica pollet, cujusque natura, alterna exacerbationum & remissionum vice manifeste patet, ab ea quæ remittens tantum per accidens est & nullatenus Corticem competit. Aliter enim nulla est febris quæ quoad intensitatem variationibus non sit obnoxia, sicque omnes essent remittentes hac sub sensu generali, voce accepta. Aliunde observante Torti vix possibile est quod quidquid sive alimentale, sive medicamentosum, sive comestibile, sive sorbile, sive potulentum ingeritur ab ægro febrem continuam patiente, aliquam in adventu suo, vel in sua digestione aut subactione alterationem in effervescentibus jam fluidis non producat, concurrente simul varia rerum non naturalium ut vocant, habitudine, sicut vix possibile est ut rebus iisdem post modum subactis, aliqua in iisdem fluidis non succedat tranquillitas.

2°. Nec minus quoad variam illarum originem, necessario distinguere opor-

tet, inter remittentem quæ orta est intermittens, & eam quæ ex continua originem habuit. In postremo hoc casu nisi de intermittentis natura prædominante magis participet, nulla ex Cortice interdum inutili, nonnunquam exitioso, speranda salus. Licet nulla certa constitui possit mensura qua febrem potius intermittentem quam continuam redolere innotescat, cum pendeat quam maxime à judicio & peritia ipsius Artificis, attamen si qua saltem generalis potest indicari, ea est hujusmodi, nempe quod, quo clarior est, manifestior, & in suo typo magis regularis periodus, eo certior est vis ac usus Corticis quod tunc febris, magis intermittentis quam continuæ naturam præfert; adeoque exacerbationes sibi invicem typo periodicarum respondentes, non per meram incalescentiam, somnolentiam, capitis dolorem &c. se prodant; sed per frigus aliquod quamvis breve extremorum, per horrorem, horripilationem, denique per cætera intermittentium signa. Lateritium etiam urinæ sedimentmm, ut expertus testatur Cel. Lautter (Hist. Med. &c.) febris intermittentis latentis præsentiam arguit; sic solo hoc conspecto, multis febribus gravioribus stipatis symptomatibus, naturam inesse periodicam certior factus, Corticem felicissime exhibuit. Demum Torti (p. 344.) Cortici non esse locum suadet, si notæ febriles sint potius in linea caloris quam frigoris. Cæterum in veris remittentibus conspicua est in remissione respective ad statum exacerbationis sensibiliore pulsus tranquillitas, apparetque aliqua ut ut imperfecta sudoris aut urinæ copiosioris excretio &c. quod nec in continua remittente cujus vix recedit ab ipsius intensitate remissio, fieri animadvertitur.

Eæ igitur certius Corticem admittunt febres, quæ vel ex intermittentium radice assurgunt, vel secus quibus clarior, constans, & successiva periodus est. Leges autem quæ Corticis oblationem in hisce febribus attinent, variè modificantur, pro ut magis vel minus celeriter typus in obliterationem festinat, plus aut minus urgent symptomata, ut modo patebit.

Cum igitur nec minus cautum, quam utile sit, ut per aliquot paroxysmos febris sinatur; dum modo per præsentia symptomata liceat, possunt interea præmitti evacuationes quas videtur natura intendere, vel sibi pro sua indole febris vindicare. Circa autem tertiam vel quartam accessionem, perpenso morbi progressu, jam quænam tenenda sit medendi via, in aperto est. Si nec longiores sint paroxysmi, nec minitantia emergant symptomata, suæ ægro maneant vires, atque coctionis signa appareant, res naturæ committenda prorsus Cortice haud indiget. Sin econtra accessionibus intensioribus, tetrisque symptomatibus, accedat etiam ægrotantis debilitas, languor, vertigo, tunc illico in promptu Cortex habendus est, maxima dosi, & quidem sub enematis forma hunc ingeri præstat; si, ne in actum citius deducatur, sit metus. In hisce rerum adjunctis D. Pringle (*Malad. des Arm. T. 1. p. 374.*) offerri, duobus aut tribus horis ante absolutum sudorem Corticem curabat, quod minori temporis spatio sudorum cessatio à paroxysmi subsequentis initio distaret.

Nonnunquam ut observavit D. Cleghorn (*Observations on the epidemical diseases in Minorca &c. p. 191 chap. III.*), contigit ut sexti diei paroxysmus cum ipsa septimi accessione confundatur; quin ulla intercedat remissio, adeo ut, calore, insomnio, delirio, admodum exacerbatis, res ægri in pejus ruere videantur; at hi tumultuarii motus qui in hoc febris stadio, Cortici oblato succedunt, instantaneum duntaxat timorem incutiunt; namque jam stat in pro

pinquo, brevi profusas secum addu&tura evacuationes remissio quæ efficaciorem Cortici exhibendo locum suppertit. Ill. Sarcone (*Istoria ragionata de' mali osservati in Napoli T. 1. p. 189*) hanc etiam paroxysmorum confusionem animadvertit, sed quam minus, ob apparentem eventus pravitatem, à Cortice sit abhorrendum propria experientia evicit. Etenim non alia ex causa hosce oriri motus inordinatos censendum est, nisi ex mutatione ingenti & subita vi Corticis illata, unde natura exstimulatur, maximosque molitur nisus ut materiam morbificam subigat, & expellat.

At cum ab ingressu nulla febris habita est ratio, & jam sordibus in primis viis exuberantibus accedunt symptomata terribilia, ingens debilitas, accessionesque sunt subintrantes; tunc illico, prima sese offerente remissione, Cortex propinandus est; sic enim inducias impetramus quarum ope securius ad alias indicationes curam conferamus. Si vomitus adsit, aut diarrhœa quibus citius expellatur Cortex ut vim suam exserat, cum laudano liquido apte miscetur; sed sat patet, qua ratione tunc cum Cortice narcoticorum admixtio esset necessaria, eadem fore cum purgantibus insecurissimam, cum nec servaretur effectûs ad circumstantias proportio, atque aliunde subsecutura evacuatio quam maxime ægri debilitati adderet. Cum autem eo debilitatis adductus est æger, ut sit metuendi locus ne proxima exacerbatione vitæ discrimen adeat; tunc suadente D. Cleghorn (p. 194.) Cortex cum cardiacis inter quæ sane vinum præstat, admisceri expedit.

Haud rarius fit, ut hæ febres, cum statis periodis per aliquot paroxysmos incesserint, gradu celeriori ad continuitatem vergant, adeo ut diu sit expectandum donec pateat remissio; in his casibus, etiamsi valde obscura sit, & confusa, nihilominus Cortex præbendus est, quòd certe ægrum ad apyrexiam pro ipsius oblatione efficacissimam perducet, ut experti sunt Sydenham (Epist. 1. resp. p. 190.), & D. Cleghorn (p. 202). Horum tamen experientiæ obversatur Werlhof (sect. 2. §. VII p. 59. (nec Corticis usum admittit, nisi remissionis tempus sit diuturnum satis & per quam notabile. Baglivius autem (Prax. Med. p. 389.) nisi manifeste coctionis signis præcedentibus, Corticem propinari negat, attamen jam ex antea dictis utrorumque assensum nulla non carere exceptione, nec semper huic tutius esse fidendum, sat evictum est.

Torti (Lib. IV cap. V.) has febres quarum ipso fermè cum exordio continuitatis principium coincidit, in corruptivas & depurativas distinxit; in his autem Cortice coctionem lædi & disturbari contendit. Sed hæc est nimis hypothetica distinctio, quòd Cortex primo intuitu nocivus quando natura depurationem intendi signis evidentibus apparet, nihilominus non infimam posse præ se ferre utilitatem, cum difficili labore naturam intricatam, suisque propriis viribus operis perficiendi interdum impotem sublevet; absit enim ut censeatur naturam semper finem statutum posse assequi. Aliunde ipse [ibid. p. 340] fatetur eam præter expectationem nostram fieri corruptivam, quæ depurativa esse videtur aut esse futura tractu temporis; & vice versa. In hac igitur rei incertitudine patet cautius & tutius Corticem exhiberi quandoquidem nihil aliud potest damni accidere quam ut longior curatuque difficilior febris reddatur; dum econtra abolita paulo post omni periodo, ac permutata in continuam essentialiter febri, irrita est & frustranea oblatio Febrifugi jam ad profliganda malæ indolis symptomata, viamque ad funestum exitum sternentia prorsus inepti.

Apprime obſervavit Ill. D. Barthez febrem corruptivam non imbecillioribus Corticis doſibus ut potius enervetur quam ut ſiſtatur ſicut Torti [p. 351] mos erat, ſed maximis eſſe impetendam; quod ſcilicet ſæpius ex hac incongrua methodo mala chronica oriantur. Ipſo enim teſte linguæ extremorumque inferiorum paralyſis, niſi elapſo anno curata, pauciori Corticis doſi ſucceſſit.

Cum autem hæ febres omnem periodi motum jam amiſerint, & in naturam vere continuarum migrarint, à Cortice Peruviano niſi damnoſo ſaltem inutili abſtinendum eſt; Ill. Sarcone [T. I. pag. 199] cum vel propria indole vel malo regimine in continentis ſtatum febris transierat, ope balnei aquæ naturalis, frigus & horrorem quem ſubinde excipiebat remiſſio, excitare ſolitus erat, ſicque ſibi opportunam Corticis exhibendi occaſionem adſciebat.

Quod autem febrium remittentum complicationes attinet; animadvertendum eſt, has cum affectibus inflammatoriis, aut putridis, ſivè generalibus, ſive particularibus poſſe coaleſcere. Sed probe notari operæ pretium eſt; utrum hi affectus febri an hiſce febris prævaleat; in ultimo hoc duntaxat caſu Cortex vi ſpecifica prodeſt. —— Febris prædominio pollere dignoſcitur, cum exacerbationes & remiſſiones manifeſte patent, putrediniſque aut inflammationis ſymptomata licet continuitate perſpicua, tamen magis ipſum inter paroxyſmum, multo minus autem ipſa in remiſſione ingraveſcunt; deſinente autem paroxyſmo, illico abſque ulla vel cauſa vel criſi manifeſta remittunt.

Quamvis autem hi affectus febri prævalenti obediant, nec idcirco nulla curæ ipſis propriæ ratio habenda eſt. Sic Cel. Lautter Medicus Laxenburgenſis in Epidemia quam deſcripſit febrium remittentium præcipue pernicioſarum, expertus eſt, Cortici quo uti remedio palmario hæ indigebant, venæ ſectionem aliaque antiphlogiſtica eſſe priori anno prævia expedire; quia plerumque acutorum & inflammatoriorum morborum proprietates præ ſe ferebant: &c. anno autem inſequenti eſſe neceſſe ut huic cardiaca, roborantiaque adjungerentur, quia hæ febres potius putridarum genium æmulabantur: huc ſpectant ingens, paucorum dierum ſpatio, virium jactura, frequenſque animi exſolutio &c. hic autem attendi juvat Corticem eo minus eſſe ingerendum, quo major eſt in remiſſione ægri virium proſtratio, namque tunc ipſius vis vacua eſt ac fruſtranea, ſed iis eſſe utendum remediis quibus excitentur naturæ vires, fiatque ſtatus irritabilitatis medii proprior conſtitutio.

Quoad vero affectus peculiares ſeu locales, qui poſſunt cum febribus remittentibus complicari; Cel. Sarcone obſervavit mala pectoris acuta periodica pendentia indole interdum in primo ingreſſu, ſæpe in ultimo morbi ſtadio manifeſta, & in quibus Cortex mira efficacitate pollebat, præmiſſis tamen debitis evacuationibus. Si tamen per aliquot dies, miſſis febri habenis, jamjam ingens ſordium materiæque putridæ copia ſanguinis maſſam inquinaret; tunc nec minus à febre quam ab evacuationibus neglectis neceſſitate urgente; Cortex neceſſario cum diureticis, quibuſdam mineralibus, interdumque lenibus minorativis, ut & cum corroborantibus, ſcilicet nive erat miſcendus; hæc autem inter nec infimum obtinet locum aqua glacie refrigerata, quæ quamvis minus Cotice tonica, tamen aptius ſuppetit naturæ vires quibus corruptos humores abigat. In his autem febribus peripneumonicis eo ſecurior, & efficacior eſt vis Corticis, quo regulari periodo exacerbationes & remiſſiones recurrunt, vel obſcuriora dantur ſigna congeſtionis humorum in pectore; namque

ne adſtringenti quem exſerit effectu obſtructionem inflammatoriam adaugeret, non abſque cauſa metueretur.

Quæ de peripneumonicis febribus dicta ſunt, eadem & de hepatis inflammatione cum febribus remittentibus coeunte, cenſenda. Sed Cel. Sarcone (p. 198.) egregie animadvertit quod ſi inflammatio jamque altiores egerit radices, eaque viguerit intenſitate, ut ex ſe ipſa pleniorem jam morbum conſtituere videatur; Cortici nequaquam inſiſtendum, niſi præierint remedia quibus retundatur inflammatio. Sic igitur tunc inſigniter præſtant diluentia queis non tantum nimia fibrarum tenſio minuitur, ſolidorum compeſcitur irritabilitas, viaque ad efficaciorem Corticis effectum ſternitur, ſed etiam diluuntur obſtructiones hepaticos ductus infarcientes, magiſque adhuc ipſo figendæ. Inſtante autem periculo ea eſſet adimplenda indicatio quæ magis urgeret; neceſſario igitur Cortice exhibito, poſt exantlatum diſcrimen, cura damnorum quæ adhuc ampliaſſet reparatrix eſſet viriliter ſtabilienda.

Typus remittentis febris cum exanthematibus ſcilicet petechiis, miliaribus &c. ſæpius coincidit; tunc præcipue ex Ill. Storck (Ann. Med.) ſententia & praxi, aliis præviis auxiliis, cum certiori eventus ſpe Cortex præbetur; liberaliori tamen doſi indulgere expedit. —— Nonnunquam etiam in febre dyſenterica prævalet periodica indoles quam frigus iniens, ſudoribuſque ſubinde exceptum, ſtatis ſervatis recurſibus, manifeſtat; D. Cleghorn (p. 236.) in hoc caſu Corticem præ cæteris utilem expertus eſt. —— Cæterum quæcumque ſint febrium remittentium complicationes, dummodo manifeſtiori fruantur periodo, alternæque clare pateant exacerbationum & remiſſionum vices, Cortex quantum pro vi cognita poteſt certe præſtabit, habita tamen cæterorum coindicantium ratione.

MORBI PERIODICI. Eam ſane vim egregiam, qua Corticem experientia, duce analogia, in multis morborum ſpeciebus ſtatum quemdam ſervantibus circuitum, pollere comperiit; non aliam prorſus ab ea quam adverſus intermittentes vel remittentes febres mirifice exſerit, eſſe haud dubium videtur. Hi namque licet morbi proprio febrium nomine non ſint indigitandi, quandoquidem non datur ſumma ſignorum quæ febrim adeſſe declarent, corpore alioquin ſano, attamen quodam modo tales habendi ſunt, relative ad eas partes quas occupant, & in quibus determinato tempore morboſam ſuccedere vicem ſentitur.

Plures igitur inter morbos quibus Corticem competi ſat conſtans evicit obſervatio, eminent quidam capitis affectus, ſcilicet hemicrania, cephalalgia, regulari recurrentes periodo, quaſque immodicus dolor parti affectæ hærens adeſſe declarat. Morton (De Protheiſ. feb. internit. gen. exercit. 1. c. 9. p. 78.) prior hemicraniam periodicam, aliis incaſſum remediis diu tentatis Cortice fugavit: ſicque crevit deinceps ex analogia ad ejuſmodi morbos Corticis efficacitas. Utile eſt, ſuadente D. Whytt (*Maladies nerveuſes T. 2. p. 418.*) uſum Corticis qui conſueto more paroxyſmorum intervallo præbetur, emetico una vel altera hora ante ingruentem acceſſionem aſſumpto, præparari.

Morbi etiam quidam oculorum periodici, ſcilicet ophthalmiæ, &c. Cortici ceſſere; de quibus vide Ill. Vanſwieten (Comment. in Boerhav. Aphoriſm. T. 2. p. 533.) & Torti Therap. ſpec. p. 426.) &c. Singularem habet Cel. Storck (Ann. Med. T. 1. p. 75) obſervationem de Homine qui hora quarta pomeri-

diana, visum subito absque præcedente ullo signo, aut dolore, amisit, & perfecta amaurosi affectus est; cœteroquin sanus fuit, nec unquam pulsum naturali celeriorem habuit. Post binas horas demum visus iterum subito rediit. Postquam igitur diebus aliquot determinata hora accedere & abire amaurosim observavit, Corticem exhibuit, ægerque perfecte intra viginti & quatuor horas curatus est. Idem (ibid.) cordis palpitationes regularibus periodis citra manifestam febrem accedentes etiam Cortice sufflaminavit.

Ad dolores scorbuticos, & quidem cum partibus adeo pertinaciter inhærerent, ut à generali cura nullum solamen recepissent; Corticem Peruvianum sæpius cum felicissimo successu exhibuit Clar. Rouppe [de Morbis Navigantium p. 200]. In rheumatismi chronici arthritidisque cruciatibus stato circuitu sævientibus, nonnunquam insigniter Cortex præstitit.

Quid memorem de illa eximia efficacitate qua ad compescendas convulsiones periodicas, & quidem irrita consuetorum remediorum vi, in Transactionibus Philosophicis commendatur [nº. 174]. Ex hoc sane eruitur, quare ipsius in epilepsia utilitas imprimis à Cel. Piquer [Prax. Med. de morb. cap. p. 101] qui hunc solum hic prodesse novit, non tam vi sibi propria, quam facultate periodos & paroxysmos abigendi, deprædicata est. Nec minus jam crebra observatione evictam, Ill. D. Barthez ipsius in hoc morbo vim specificam extollit. Hunc etiam anti-epilepticum novit Cl. Mead [p. 52]. In Corticis autem usu longo temporis tractu perseverandum est, nec quidquam vetat quin ipsi interdum rhabarbarum admisceatur. Interea tamen sustentari stomachi vires digestivas tonicis roborantibus juvat; ab iisque præcavendum quibus, ipsis læsis, pessime cerebrum afficeretur. Quamvis nihil jam amplius ad epilepsiæ curam desiderari appareat; attamen si visa est, inter Lunæ phasium recursus, & ipsum morbi paroxysmum constans stetisse analogia, Corticis repetenda est exhibitio circa illud tempus quo paroxysmi exacerbari consueverant. Præstat imprimis Cortex ad epilepsiam absque materia & causa sensibili; at pro morbo non minus gravi quam difficili, nequaquam methodis specificis, exclusis analyticis, indulgendum est, & vice versa: sed maximi interest ut etiam simul ac specificis utimur, ea in opem veniant quibus tollantur causæ morbi sensibiles. Hæc etiam de morbis quibusdam supra recensitis intelligenda.

Haud pauciores sane sparsim apud Auctores, morborum recursibus periodicis prodeuntium, Corticeque profligatarum, observationes extant. Sed jamjam ex allatis vis Corticis præstantissima & vere specifica patet.

VIS TONICA.

Remedii vere tonici vis in eo sistitur, quod deficientem principii vitalis tonum adaugeat, vel spasmodice affectum emendet. At quid audit tonus? cujus quamvis clarior menti non occurrat perceptio, attamen potest definiri tenor mediocris & constans virium Principii Vitalis. Hoc igitur posito, Cortex vi tonica spectatus, hujusce tenoris constantem inter vires motrices & sensitivas [de quibus ingeniosissime disseruit Ill. D. Barthez in Oratione Academica de Principio Vitali Hominis] relationem constituentis, alterationi mederi censendus est. ——Apud plerosque Auctores Corticem reperies vi roboranti, nervina, antispasmodica commendatum, sed & has omnes in unum collectas,

ad vim tonicam referimus, quandoquidem si sub harum respectu consideretur, eumdem semper præstare effectum censetur, cum nempe vires vel cujusdam organi, vel totius constitutionis læsas in statum naturalem restituat, iisque sic medium tenorem conciliet. ——Hic autem animadverti juvat haud pro omni virium Principii Vitalis modulo vim Corticis tonicam semper sufficere, sed præcipuum stare ipsius efficacitatis momentum in adæquata ab ipso tenore medio distantia; in extremis enim irritabilitatis aberrationibus nihil proficeret. Quidquid hic de vi Corticis tonica profertur haud profecto vel ideale est vel speculativum, sed directis innititur principiis ex experientia & observatione desumptis, unde vere practicus eruitur factorum conceptus. —— Hæc satis de vi tonica in se spectata; nunc quosdam præcipuos subjiciamus huic vi casus analogos, quos relative ad vires Principii Vitalis, hinc tenoris medii vitio, illinc excessu peccantes, ordinis causa, lustrare juvat.

1°. Varios inter affectus queis affligitur ventriculus, quem adeo intime cum œconomia animali consentire notum est, ut ex ipsius virium vitalium læsione per sympathiam minuatur aut langueat totius constitutionis energia aut activitas; ii sane haud infrequentiores contingunt, quibus constituitur hujus visceris atonia seu virium tonicarum defectus. In his autem Corticis efficacitas inconcussa sane est, nec ad probationem exemplis indiget. Ex hoc itaque ad flatuosos ventriculi affectus, qui fere ab hujus organi atonia perperam pendent, præmissis præmittendis insigniter prodest. Nucis moschatæ, vel zinziberis in hoc casu cum Cortice mixtio ex D. Whytt [T. 2. p. 385] utilis probatur. Sic quoque ventriculo phlegmatibus viscosis scatente, incassum vomitoria iterantur, nisi modo sufficienti Cortice firmetur, vasaque ipsius secretoria statui sano & naturali reddita, continuum humoris morbifici affluxum coerceant. Hæc vero valet methodus quotiescumque ventriculi debilitas haud interruptis congestionibus favet. —— Cæterum efficaciter vitrioli elixirium, dummodo ventriculus acida haud ægre ferat, nonnunquam Cortici adjungitur.

Quemadmodum autem Cortex ventriculo atonia peccanti, ita & intestinis simili causa laborantibus optime medetur; quod locum plerumque in flatulentis colicis obtinet; & inter alias in colica pictonum ab ingestis venenatis, quâ læsas intestinorum vires, Cortex potenter in statum naturalem redintegrat. Alia autem pictonum colica & quidem observante Grashuis [de Colica Pictonum Tentamen] generalior, ea est quæ ex nimia intestinorum muci flaxilitate oritur; unde fit ut ab alimentis immodica ductus intestinalis irritatio procreetur. Tunc sedantibus, scilicet opio, deinde mucilaginosis, lenientibus, & sublata irritabilitate, & suppleto muci defectu, Corticis usum, ut alia prævertantur vitia, diu prosequi juvat. Simul etiam, capparis, tamarisci, acetosæ radices, &c. possunt exhiberi. [De Haën Ratio medendi T. 2. p. 428). Procul dubio ipsius intestinalis ductus atoniæ sæpius vitium constipationis habituale deberi censendum est, unde patet cur haud raro id Cortice sufflaminatum annotarunt Werlhof [p. 32], Ill. Cullen [*Lectures on the Materia Medica* p. 244].

Quibusdam etiam vesicæ morborum ab atonia pendentium casibus Corticem competi, evicitur observatione (in primo Medicorum Londinensium Actorum volumine legenda) hominis subita correpti ischuria incassum diluentibus

& antispasmodicis tentata. Judicatum igitur fuit fibras vesicæ musculares, vel potius detrusorem urinæ musculum, vi tonoque deficere; quapropter dato Cortice homo perfecte curatus est. —— Ita & in diabete quem major vel minor totius constitutionis, præsertimque renum enervatio comitatur, Cortex sed caute, imprimisque morbo quodam modo remittente, adhibitus juvat.

Fluor albus, mensiumque suppressio, quamvis ex causa opposita oriri videantur, attamen uni, eidemque sæpius obediunt, scilicet generali totius constitutionis atoniæ qua fit, ut ille laxis habenis finatur, hæc econtra solidorum inertia persistat. Jam igitur ex allatis patet nihil ad medium tenorem restituendum, partesque in functionum integritatem recuperandas, tunc Cortice efficacius valere. Hic tamen necessaria occurrit cautela, nempe quod in omni fluxu uterino observante Ill. Storck [Ann. Med. T. 2. P. 213] mala semper sequantur symptomata, si remediis roborantibus fluxus retineatur, antequam materiès effluens fuerit satis attenuata, & uteri vasa à mucosis & crassis libera. In suppressione autem mensium Werlhof [p. 31] præparationes Corticis particularum magis terrestrium expertes adhiberi suadet, quod blandissime sine ullo adstrictionis metu impellere solent mensium fluxum, attamen penes pauciores constitutiones metuendum est ne remora iisdem per remedii substantiam inferatur. Ipsa vero substantia præsertim in laxiori fibrarum habitu, & sanguine vappescente uti in chlorosi & languore febriculoso observatur, apprime promovet naturale profluvium, tono potentius restituto.

A multis Auctoribus vi tonica deprædicatus est Cortex in dysenteria ob intestinorum atoniam. Hæc vero præcipuam offert indicationem cum vel ætate provectioribus, vel morbo in longius protenso exhaustis, mederi occurrit; tunc certius adhuc operatur Cortex ex D. Akinside, si pulsus sit debilis, facies sudoribus irroretur, sentianturque alternæ frigoris & caloris, virium & debilitatis, vices. Ipsius autem vis augeri potest si cum cinnamomi tinctura misceatur.

In una ex his Thesibus quas collegit Ill. De Haller, Cortex ad icterum commendatur. Neque equidem ipsius inficianda est in hoc morbo utilitas, sed hunc præcipue ægro convalescente, ad vires constitutionis tonicas revocandas, præstare apparet. Curandum igitur ne nimis præmature in usum ducatur, namque hepatis scirrhum aliosque affectus graves posset inducere; nec minus turgente bile obesset. At obstructione jam resoluta, prævalenteque roborandi indicatione, huic patet locus.

Ex Corticis vi tonica, eruitur sane ratio prosperi successus quem Ill. Fordyce, & Fothergill, ipso in affectibus scrophulosis tentato, se esse expertos asserunt. Hic vi resolvente, ut & ad alias tumorum doloris expertium, magisque scrophulæ quam scirrhi naturam redolentium, species, Corticem valere censet D. Whytt (T. 2. p. 172.) sed ipsius profecto rectius assignatur operandi modus, si pro ut lentori humorum medetur, tonum & energiam solidis conciliat, novumque constitutioni vigorem imprimit, spectetur. Hinc etiam ipsis infantibus quorum habitus, tabis glandularis rachitidisque fermentum fovet, quam maxime proficit.

In affectibus etiam chronicis, scilicet anasarca, hydrope, dummodo, nec læsione sensibili, nec obstructionibus viscera laborent, Cortex, haud parum conducit. Sic Cel. De Haën [Ratio Medendi T. VI part. undecima cap. IV]

hunc, facta paracentesi, offerre, nec exitu incerto, solemne erat, scilicet ut vires conservarentur, compingerentur fluida, roborarenturque sic solida, ut omnis, quoad ejus fieri posset, recidiva averruncaretur. Nonnunquam etiam Corticis aliorumque remediorum vim simul coincidere expedit, quod evincitur observatione Cl. Muzell, qui incassum anasarcam pessimam aperientibus, diureticis aggressus, Cortice his feliciter adjuncto, curam optatam attigit. At quamvis interdum hæc quodam successu methodus fruatur, caute tamen, & nisi, vel promotis evacuationibus, vel fere perfecta saltem resolutione, si prævaleat indicatio, in promptu est habenda. Cœterum eam infirmari partem, cui obstructio adhæsit sat rationi consentaneum est, sed hac debilitate superstite, procul dubio iterum accumulari obstructiones continget, nisi tonicis cura absolvatur, quibus neglectis, haud raro pejor ægrotanti morbus, & in funestum finem abiturus recrudescit.

Nec minus ad ipsam pulmonum infirmitatem, aliquandiu manifestæ phthisi præviam, proficuum esse Corticem ratione & experientia confirmatur. Hinc Loeseke in laxitate pulmonum nimia phthisim minitante, prospere tentatum laudat. Nec hanc successus expertem methodum vidit Cel. Monro [*An account of the diseases &c. p.* 129.] dum tamen obstructionum indiciis careret, cujus rei certitudinem ex absente doloris fixi sensu, & respiratione satis facili, depromere assuerat. D. Pringle [Mal. des Arm. T. 1. p. 307] præsertim ægro post phthisim convalescente, pulmonibus ab obstructione liberis, hunc præstare vidit; id que imprimis cum de animi abjectione & debilitate conquereretur, morbo nondum ultimam periodum assecuto. —— Vulgo respirationem & excalefieri, & anxiam effici, Cortice objicitur. Contrarium tamen expertus est D. Pringle [ibid] atque Ill. D. Barthez recte asserit hæc nequaquam accidere, dummodo moderata dosi præbeatur; si tamen expectorationi obsisteret, aliquandiu esse ab eo abstinendum. Tunc tamen variis cum remediis, scilicet vulnerariis, balsamicis, gentiana, agrimonia, sanicula &c, & ex Loeseke cum aquoso myrrhæ extracto, efficaciter maritatur.

Quamvis in inflammationibus Corticem nocere constet, tamen interdum sat recte his potest indicari. Sic cum modus inflammatorius languet, jamjam in gangrænam abiturus, Cortex naturæ in præceps ruentis vires potenter sustinet. Hunc autem suadente Cel. Medicus Lacte amygdalarum temperari juvat, imprimis etiam necesse est venæ sectionem & vesicantia occipiti imposita, ipsius usui esse prævia. Nec minus resoluta inflammatione Cortex valet; ipso enim quo minus denuo morbus recrudescat prævacetur, & sublato vitio sensibilitatis & mobilitatis superstite, partibus queis inflammatio adhæsit tenor medius & constans redditur. At ineunte morbo inflammatorio quam maxime hunc obesse recte censetur, quod erethismum solidorum adaugeat, fluidorumque depurationem prævertat; unde patet quam accuratè varia morborum tempora spectari expediat.

Numquid post extinctos febrium intermittentium paroxysmos, ægro adhuc convalescente, Cortex vi tonica prodest? & sane id testantur salutares excretiones quas natura hoc remedio roborata, & in certiorem functionum integritatem restituta, nisu potenti promovet. Si autem in convalescentia, virium alterationi necessario post morbum superstiti, tonica opponi sit opus, patet quam ea tunc noceant remedia, scilicet purgantia &c. quæ adhuc huic alterationi

causæ reversionum frequentissimæ addunt; quare nisi longis intervallis vel saltem Cortici admixta in usum duci curandum est. —— Efficaciter etiam Cortex ad vires in febre lenta sustentandas, colliquativos sudores refrænandos, coctionem accelerandam, salubresque promovendas evacuationes conducit.

Quam mira præstet Cortex in morbis acutis malignis jamdudum sat celeberrimorum Medicorum scripta & auctoritas probarunt. Sed quamvis haud recte assignatum sit quonammodo operetur, tamen patet non minus ad tonicam quam antisepticam vim, Corticis esse referendos effectus. Etenim si sedulo ingenti virium jacturæ quam in his morbis patitur natura, attendatur; haud parum hac vi ad horum curam hunc conducere clare apparebit. Laudes meretur maximas Cel. de Haën qui primus latissima, & sane perfectissima circa Corticis in morbis malignis administrationem, præcepta scriptis tradidit. Sed tamen utilissimam omisit praxim quam Cel. Viri Huxham (p. 153), Pringle (T. p. 150) Monro (p. 16) &c. felicissime prosecuti sunt, scilicet cardiaca excitantia, activa, ut vinum, Cortici adjungere haud curavit, cum, hoc irrito, vires decidunt, pulsus deprimitur, symptomataque malignæ indolis ingravescunt. In hac prædominante malignitate Hispani crocum, haud minori sane virtute cardiaca pollentem, Cortici addere assolent; tunc autem vesicans cum Corticis vi apprime coincidit. Obiter tamen annotari juvat, Vitrioli elixirium, si prævaleat ardor, esse cum Cortice præbendum. —— Sic in morbis exanthematicis malignis, scilicet variolis, petechiis, miliaribus &c. Cortex profecto remedium palmarium habetur. Etenim ut propriis utar verbis Cl. De Haën (T. 1. cap. 1. p. 285) exanthematum expulsionem cum ægrorum euphoria promovet, sustinet, maturat, perficit. Insuper ex eo quod naturæ vires adaugeat, metastases præcavet, crises excitat salutares, lentæque febris metum præcidit. Recte suadet Ill. D. Barthez quamvis Cortex mature sit ingerendus, tamen esse immorari utile donec jam quodam modo morbus expandatur, quod hoc quasi in herba suffocato, crisim cessisse tardam & imperfectam, longasque in moras tractam fuisse convalescentiam contigit. Maxima dosi, & quidem diutissime dari Corticem curandum est, ut sæpius funestæ prævertantur recidivæ, penitusque suas natura colligat vires.

Denique in omnibus nervorum morbis ab atonia, sive debilitate pendentibus, Corticem æqua aliorum indicantium ratione habita, raro expectatam exitus spem decepturum longa die confirmatur.

2°. Apparet Sydenham priorem explorasse, & feliciter fuisse expertum quid præstaret Cortex ad hystericos affectus, eosque imprimis quibus spasmis fœminæ afficiuntur. Ipsius autem vestigiis, ulteriori experientia crescente successu, Auctores postea plurimi, prospere incesserunt. Ratio autem tantæ utilitatis ex Cortice susceptæ sat facile assignari potest, si cum hi morbi ex causis habitus mobiliores afficientibus nascantur, insigniter Corticem ad nimiam sensibilitatem & irritabilitatem emendendam, stabilitatemque energiæ systemati nervoso conciliandam, valere attendatur. Circa autem Corticis usum in his morbis sive hystericis sive hypochondriacis, præcavendum ne simul vel obstrictionem, vel quamcumque sensibilem læsionem viscera patiantur; secus enim pro adjunctis noceret.

Qua profecto ex causa in his epilepsiæ speciebus præcipue ortis à gravioribus animi pathematibus, ut & in motibus nonnullis infantum epilepticis à

Cel. Eller (Obſ. de cognoſc. & curand. morb. p. 95) deprædicatur. Ita & teſtante Ill. Cullen [p. 252] Cortex in chorea Sancti Viti, aliiſque ſpaſmodicis affectibus , iis quorum habitus mobilior eſt plerumque familiaribus , curandis raro haud incertum ſpondet effectum ; dummodo tamen aliæ annotentur cautelæ. —— Hic autem animadverti expedit Corticem aliaque amara , ut ex dictis de vi tonica patet , nullatenus indicari cum extrema viget cum mobilitate ſenſibilitas , quare tunc quam maxime prodeſt temperantium , excitantiumque alternatio , qua Principium Vitale in contrarias oſcillationes motum , ſenſim ab iis affectibus hoc intime penetrantibus diſtrahitur , tandem tenore medio brevi potiturum.

Sic quoque in aſthmate vere nervoſo ſive ſpaſmodico, Cortex egregie vitio ſenſibilitatis ipſi pulmoni inhærenti medetur, tenoremque medium vi propria reſtituit. At in aſthmate mixto ipſius admodum cauta eſſe debet oblatio , præſertim ſi pulmones obſtructionibus infarciantur , vel exuberans phlegmatis copia liberis ipſorum functionibus obſit.

Tuſſes convulſivas idiopathicas Cortice profligari haud ſemel obſervatione confirmatum eſt. Ill. Cullen [254] præſertim hunc in violentis infantum tuſſibus ſæpius efficaciorem agnovit. Quemadmodum autem in hoc morbo interdum natura feliciſſimam hæmorrhagiis & vomitu ſolutionem operatur , ita ad ipſius imitationem priuſquam Cortex præbeatur, venæ ſectionem , validioraque evacuantia in uſum duci decet. Donec autem hæc proſpera prægrederentur ſymptomata ut ipſe uteretur Cortice , immorabatur Ill. Cullen ; niſi prius manifeſtis ſignis nullam adeſſe pulmonis læſionem pateret. Sicuti infantibus Cortex minus arridet , commode vel ſub emulſionis aut extracti forma offertur , & quam maxime fieri poteſt per os ingerendus eſt , quod profecto ipſius eſt certior effectus.

Præmiſſis cautelis generalibus , ſcilicet venæ ſectione , & refrigerantibus , Cortex ad ſiſtendam hæmoptyſim ut obſervarunt Ill. Piquer [Prax Med. p. 166] , Morton [Phthiſiologia p. 96] egregias vires exſerit , at eo magis ipſius perſpicua eſt efficacitas, ſi ſint alternæ ſpaſmi & debilitatis vices, quæ exacerbationibus & remiſſionibus anſam præbeant. Hæc autem eadem ad fluxus uterinos quæ à ſpaſmo prædominanti pendent, curæ valet methodus. Quare igitur etiam hæmorrhagias modum excedentes placide & ſine præpotenti ultra tonum naturalem adſtrictione compeſcit. D. Whytt [T. 2. p. 258.] ipſius vim in his ſiſtendis antiſpaſmodicam haud admittere videtur , ſed adſtringenti duntaxat annuere lubet. Attamen jam tunc magis nociturum quam profuturum patet , cum certe effectum ad ingentes hæmorrhagias proportionatum haud præſtaret ; natura enim potenti medela indiget , imbecilliori irritatur. Werlhof qui hanc optime vim habuit exploratam , niſi poſt plethoram imminutam , & ſpaſmorum reſolutum impetum, extra nimii orgaſmi tempus, recte hunc miniſtrari jubet. Si autem vulneratio gravis , vel viſceris ſcirrhus aut ingens infarctus ſubeſſet , procul dubio ab hoc foret abſtinendum.

Numquid vi tonica ſeu mavis antiſpaſmodica Cortex vagas obſcuraſque febres , ad typum clarum regularemque revocat ; ut haud paucis conſtat obſervationibus , haſque ſic ſui imperio ſubmittit? Præfecto tunc conſtans naturæ in rectum tramitem adigendæ , ipſius intentio eminet.

Præcipuis igitur recenſitis caſibus vim tonicam late ſpectatam attinentibus ;

animadvertendum ſupereſt, diu Corticis uſum eſſe pro morbis nervoſis continuandum, eoque longiori temporis tractu quod altius conſtitutioni hæſerit; atque vitrioli elixirium eſſe Cortici addendum, cum affectibus à delicatiori nervorum ſenſu pendentibus, pulſus frequens eſt, calorque ſolito intenſior viget.

VIS ANTISEPTICA.

Hanc primo Corticis vim felices gangrænæ ſphacelique hoc remedio curati caſus patefecere; prior vero Rushworth egregium illius in his morbis effectum auſpicatus fuit; nec deinceps defuere ſcriptis in ipſius probationem mandatæ obſervationes, quæ etiam multæ paſſim in Actis Edinburgenſibus extant. Recte autem ſuſpicatus eſt Cel. Huxham [de Aëre & Morb. Epid. T. 1 p. 109.] Corticem ex analogia haud exiguas in febribus putridis partes acturum, nec ſpem ſucceſſus conceptam experientia luſit. Paulopoſt non potuit D. Pringle in hiſce ipſius præſtantiam non mirari; ſed hanc præ omnibus profecto Cel. De Haën longo uſu exploratam fuſius confirmavit.

Cortex igitur vi antiſeptica ſpectatus, non tantum perfectam emendare putriditatem, ſed jam inſtantem arcere, vel incœptam retardare valet; quod variæ morborum quibus medetur ſpecies teſtatum faciunt.

Jamjam uberiori longiorique experientia Corticem ad gangrænam inſigniter præſtare comprobatur, ut adhuc quid circa dubii hæreat. Attamen haud incertum videtur, potius humidam Corticis vi antiſeptica gangrænam competi, quam ſiccam quæ ſi ipſius, ſaltem ut tonici indiga eſt. Namque ut annotavit Cel. Queſnay [*Traité de la gangréne p.* 319]; hanc gangrænæ ſpeciem ſubſequitur exſiccatio qua fit ut pars mortua putridam diſſolutionem effugiat. Econtra vero ex Eodem (p. 13) gangrænam humidam præcipuè conſtituunt ſucci in parte affecta exuberantes, unde facilius putrida diſſolutio acceleratur. In hac igitur præſertim, ex dictis, Cortex, tum interne, tum externe adhibitus juvat. Attamen id obſervandum quod recte aſſerit D. Pringle [T. 2, p. 236] nempe hunc minus, ſi vel vaſa nimis contento fluido turgeant, vel ſanguis ſit ſpiſſior, profuturum. Senſibiles igitur Corticis effectus in eo ſiſtuntur quod laudabilis ſuppuratio, puſque bonum à partibus affectis ſuppeditentur, ut ex obſervationibus in 4°. Actorum Edinburgenſium vol. à pag. 54 ad 77 legendis, innumeriſque aliorum ſcriptorum aliis evincitur.

Sic quoque in ulceribus virulentis in quibus ſuppuratio torpet, nihil Cortice utilius miniſtrari cenſendum eſt; cum hæc vel vitio humorum generali foveri, vel ipſamet peculiarem ſoleant accepiſſe degenerationem à ſtagnante ſuppurationis humore, cujus ſaltem aliqua intra ſanguinem pars reſorpta, ſenſim humorum maſſam tabefecit, unde ſequitur perpetua puris virulentia quæ ulceris cicatricem impedit.

Ex hoc etiam fonte effluit illa ſtupenda ſingulariſque Corticis cum demulcentibus combinati, in cachexia humorum purulenta efficacitas quam primus Ill. De Haën, [Rat. Med. T. 1. Pars III. C. V], ſagaci duce ratiocinio comperiit; quare ſæpe à Cortice, una cum multo lacte, ſuppuratis pulmonibus, egregium adeo auxilium præſtari teſtatur [Ibid. T. 7. pars duodecim cap. VI] ut nonnullos perfecte curatos ſalutaverit, alioſque viderit qui ærumnas ſuas multo leviores, longeque diuturniores perferrent. Sic etiam in ſpina ventoſa,

morbo illo terribili qui ad certum gradum cretus omnium per orbem terrarum industriam sagacitatemque passim eludit, Cortex interne & externe in opem vocatus, juvante diæta lactea, miro cum successu medullæ, succorumque osseorum, degenerationi opponitur.

Nonnulli etiam ad cancrum curandum Corticem laudarunt; sed haud recte hunc in hoc morbo generaliter proficere conclusum est. Si enim interdum valeat hujus assensus pars duntaxat, illud in iis obtinet adjunctis quæ humorum degenerationem emendandam indicant; & sub quibus tantum hunc prospere cessisse, jure censendum est. —— Idem & de scrophulis intelligendum ad quas superius vim Corticis tonicam transtulimus.

Duplicem in scorbuto effectum exserit Cortex, nempè vi antiseptica putridam sanguinis dissolutionem corrigit, solidioremque huic fluido crasim, vi tonica conciliat, qua ratione intelligitur cur sæpius læthales hæmorrhagias hoc morbo laborantibus familiares ipse interdum sistat.

Haud sane quemlibet fugit, dysenteriam nonnunquam putrida sanguinis aliorumque humorum colliquatione foveri, ex hocque Corticem additis acidis procul dubio impense juvare. Cel. Whytt hunc præsertim sæpius in gravi dysenteriæ statu, nempe cum ori canalique alimentari aphthæ impendent, vel postquam etiam prodiere, feliciter tentatum laudibus extollit.

In variolis malignis, cum vel putredinis vel gangrænæ jam instantis signa patent, Corticem palmarium esse remedium, agnorunt jamdudum Alex. Monro [*Essais & obs. de Med. de la Sociét. d'Edinbourg T.* 5. *p.* 120] Huxham [*Essai sur les Fiév. p.* 158] De Haën [Rat. Med.] Plenciz [Tract. de Variol. p. 136 & seq.] &c. Recte autem Corticis exhibendi indicium desumitur, cum papulæ quæ exsurgunt lividæ mox nigricantes vel dissoluto cruore refertæ adparent, interpositis petechiis quandoque in illorum interstitiis, quæ phænomena instare periculum satis testantur; maxime si per hæmorrhagias sanguinis putridi acerrimi hinc inde irruptiones ex naribus, oculis, ore vel renibus interveniunt. Largiorem autem cum Cortice usum acidorum esse imprimis expedit. —— Eadem esto in febribus exanthematicis malignis scilicet petechiis, miliaribus, scarlatina &c. Corticis offerendi methodus quam præ cœteris illustravit & ampliavit Cel. De Haën.

Demum in omnibus febribus putridis Cortex cui acida immiscentur, palmam sane inter alia remedia præripit, sed probe annotari decet duas febrium putridarum generalium species existere; putrida enim una universalis ab exordio ad finem usque humorum colliquatione perspicua est; in altera vero non putrida dissolutio, sed coagulationis & mucosæ alterationis status scenam inchoat. Unde patet quam sit nosse necesse cum hæc à coagulatione in dissolutionem migrarit, quod febre nondum hanc assecuta, Cortex noceret. Nihil dicam de quibusdam cautelis circa noxium Corticis usum servandis. Namque haud dubium est quod si calor sit ardens, vel pulsus semper æque durus perstet, visceraque corruptis sordibus scateant, aut dentur manifesta erysipelatis ventriculo hærentis signa, procul Cortex esset exulandus. Sic quoque humorum orgasmo, vel nimia spasmodica tensione jure vetatur.

Numquid, ut annuerunt nonnulli clari in arte viri, insigne quoddam à Cortice auxilium in peste sperare licet? Ulteriori forsan experientia vis nondum sat explorata clarius elucescet.

An, demum Corticis extractum ut experimentis Auctoris Anonymi constare videtur [*Essai pour servir à l'Histoire de la Putréfaction p.* 445] vi majori antiseptica pollet ? Decoctum tamen ad gangrænam sistendam felicius cedere Cel. De Haën expertus est.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 7. lin. 13 lentore , *leg.* à lentore.
Pag. 15 lin. 2 suppertit , *leg.* suppetit.
Pag. ibid. lin. 12 quorum , *leg.* quarum.
Pag. ibid. lin. 20 Cortex , *leg.* Corticem.
Pag. ibid. lin. 46 febris , *leg.* febri.
Pag. 16 lin. 34 quæ , *leg.* qui.